

66. ff. de solut. l. 4. §. 4. ff. de doli mali except. Neque enim debet pupillus occasionem juris ad iniquum trahere cum detrimen-
to alieno compendium. l. pen. in fin. de reb. eor. qui sub tutel. Quan-
do autem locupletior factus intelligatur, & quo tempore id in-
spiciatur, illud traditur in l. 4. ff. de Except. l. 47. princ. & §. 1. ff.
de solut. Quod si acceptum male consumperit, aut furto vel vi
amiserit, nihil prodest debitori doli mali exceptio, sed ipse nihil-
minus condemnatur; quia temere sine tutoris autoritate solvit.
§. ult. Inst. quib. alien. lic. vel non.

Thesis XIX.

Novo jure ut pupilli debitor per solutionem ipso jure libe-
retur, & plenam securitatem consequatur, non sufficit, si pupillo
accedente tutoris autoritate solvatur, sed insuper requiritur, ut
prius judicialis sententia hoc ipsum permittat; §. ult. Inst. quib.
alien. lic. vel non. l. 25. C. de Administr. tutor. ita ut hoc casu nec
judicialis sufficiat quittantia. d. l. 25. C. de administrat. tut. §. 2.
Inst. quib. alien. lic. &c. Carpzov. p. 2. c. 11. d. 46. Et si hæc sen-
tentia non præcesserit, solutio pupillo etiam cum tutoris auto-
ritate facta obligationem ipso jure non extinguit. §. 2. Inst. quib. al.
lic. &c. Existimant quidem multi, hoc in casu, quo scil. debitum
pupillo cum tutoris autoritate sine judicis decreto est solutum,
obligationem ipso jure extingui, & pupillo tantum in integrum
restitutionem dari. Carpzov. d. c. d. 45. num. 3. & 4. Verum Ju-
stinianus Imperator in d. §. 2. Inst. quib. alien. lic. vel non, expresse
scribit, si forma huic solutioni præscripta non fuerit observata,
pecunia autem soluta pupillo adhuc sit salva, aut ipse exinde locu-
pletior, quod tunc pupillus eandem pecuniæ summam denuo pe-
tens per exceptionem doli mali possit submoveri, nulla restitutio-
nis in integrum facta mentione; quo ipso satis aperte ostendit, ob-
ligationem adhuc esse salvam. Exceptio enim præsupponit actio-
nem. l. 2. princ. ff. de exception. Ubi autem actio adhuc est salva,
ibi in integrum restitutio non est necessaria. Hinc si pupillus pe-
cuniam sine judicis decreto solutam male consumperit, aut furto
vel vi amiserit, debitor priori actione conventus condemnatur;

B 3

nec